sequi. Igitur fatum *origine* est dictum, hinc *antonomasia* seu κατ' ἐξοχὴν dictum Dei, hinc porro per *Synecdochen* dictum Dei de futuris, seu decretum Dei, hinc denique *metonymia* causæ, necessariò eventurum, qui nunc vocis *usus* est. Unde boni Grammatici, atque etiam Philosophi est continuatis Troporum soritis, ut sic loquar, vocis usum ex origine deducere posse. Qua in re artificem inprimis esse video Julium Cæsarem Scaligerum, cujus originum libri non exiguo etiam Philosophiæ detrimento perierunt, nisi quatenus filius iis fortè in notis ad Varronem usus est, qui tamen plerumque ab iis quæ parens jam publicavit, & suis scriptis passim interspersit, dissentit. Sed ut in filii meditationibus plus eruditionis habemus, ita in parentis originationibus plus acuminis & philosophiæ amisimus. Cæterum in vocabulis adhibendis hæc regula tenenda est, ut si origo ab usu dissentit, usum potius quam originem in dicendo sequamur, sed usu vel dubio vel non repugnante origini potius hæreamus. Si multiplex usus est, danda opera est, ut vel abstrahatur *formalis* aliqua *significatio* quam vocant, id est ut detur significatio vocis, quæ omnes usitatas in se continet, in quo laborare solent Theologi, inprimis scripturarum Hebraicarum interpretes, quos inter hac sensuum venatione excellebat Samuel Bohlius; vel si illud fieri non potest, saltem constituatur *usus* aliquis, ut sic loquar, *originarius*, id est ex quo sic fluant usus cæteri, quemadmodum ex origine fluxit ipse, nempè per canales Troporum. Danda tamen in usu Originario constituendo opera est, ut sit significatio formalis, saltem plerorumque usuum, quoad eius fieri potest, ex qua cæteri usus deducantur. Sed in utroque, tam usu originario, quàm significatione formali deligendis, illud maximè dispiciendum est, ut ex pluribus se offerentibus eligatur propior origini vocis. Electa autem semel significatio si locus fert redigenda in definitionem (*definitio* enim nihil aliud est, quàm significatio verbis expressa; seu brevius, significatio significata) & auditori lectorive proponenda est. In definiendo non id solùm curandum est, ut definitio sit reciprocè vera, sed &, ut sit clara. Termini igitur Technici cane pejus & angue